Nobilissimo Viro
Constantino Hugenio
equiti etc. S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir Nobilissime

Principalibus negotijs et auguste occupato labori breve
divortium interponit haec scriptio, nisi audacius interpel-
lanti reclamet quae te publico vendicat rerum moles.
Sed nec tuo nec Patriae genio iniquus videbor, qui con-
tractius otium male sedula importunitate arctare non
statuo. Fratri fraternam manum porrigo et trepidan-
tis manuducae opem. Ille Ambrosij le Ducq cognati jus-
su ad Amplissimum collegam tuum Junium dirigitur,
amanuensis operam locare promtus. Sed prensandi ~~s~~ stu-
dio impulsum latet, quicquid occulta istius sparta velat
indoles. Itaque tuo indicio, vir Nobiliss. ut ignotas ambi-
enti difficultates et propositos sedentaria diligentia fru-
ctus enuclees oramus, ne dubia sorti permissa spes
irrito morantem lasset eventu. Plura et quae chartae
subtrahit compendiosa narratio, explebit praesentis ser-
mo, si colloquij spatium graviora indulgeant. Vale vir
Nobilissime. ~~et~~ Modesti juvenis commendatitias facile
tibi dabit coram explorantis indago. Raptim Middelbur-
gi Zelandiae. vij Calend. July CIↃ IↃCXXXIX.

N. T. addictissimus
Isaacus Gruterus

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Groterus) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2140

Nobilissimo, Doctissimo
viro
Constantino Hugenio
equiti, Domino in Zuilichem,
Principi Auraico a Consilys
et ſecretis

amicā manū

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Groterus) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2140